

Bohomolec Fr. Pro ingeniois
Polonorum oratio (1752)

PRO INGENIIS
POLONORUM
ORATIO
HABITA VARSAVIÆ
IN GYMNASIO
SOCIETATIS JESU
CALENDIS SEPTEMBRIS
Anno à partu Virginis
M. DCC. LII.

V A R S A V I Æ,
Typis S. R. M. & Reipub. Collegii Soc. JESU.

Antonius Le Poer



XVIII. 2.930



ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
REVERENDISSIMO DOMINO
^{AC}
J O S E P H O
C O M I T I
S A P I E H A
Episcopo Diocæsariensi, Co-
adjutori Vilnensi Supremoque
M. D. L. REFERENDARIO.

FRANCISCUS BOHOMOLEC SOC. JESU.

*Cum sollicitè quererem PRÆSUL
ILLUSTRISSIME, quō pactō
meum in Te studium declarare
A 2 pos-*

possem, accidit opportune, ut Orationem
meam, qua studiorum initia Varsavie
celebravi, plurimi, non minus claritate
generis, quam doctrinâ insignes Viri ma-
gno plausu excepérint, hortatig, sint, ut
eam publici Juris fácerem. Gratu-
latus sum mihi vehementer, non quod ju-
dicum eorum de me tam honorificum me-
reret, sed quia haberem, quo pro tot be-
neficiis non ingratum me Tibi esse proba-
rem, ratus non injucundum id Tibi fo-
re, quod tantopere Viris dodissimis pla-
cuisset. Hæc agitantem, optatoq, successu
gaudentem, pudor quidam subrusticus,
metusq, incessit. Verebar enim ne tam
vile opusculum Tibi tanto viro minus con-
veniret, molestusq, inde fierem, unde of-
ficiosus esse studebam. Quare manum de
tabula jam penè subtraxeram, cùm ex al-
tera parte desiderium testandæ erga Te
volun.

voluntatis mee; ex altera exemplum aliorum, qui similes oratiunculas viris summis inscribere non dubitaverint, animum fluctuantem erexerunt. Reliquum vero quod supererat dubitationis, hortatus viri cuiusdam, non minus Tibi, quam Musis addicti, deę re literaria in Polonia optimè meriti, exemit: qui, ut oratio ista, non alio, quam Tuō Nomine commendata prodiret, animum meum jam sponte sua ad id propensum tamdiu sollicitabat, donec omnino expugnaverit. Illud quoę ad audendum me plurimum incitavit, quod, quamvis tenuis, ac jejuna, negę Tuō Nomine digna ipsa lucubratio videri possit, argumentum ejus tamen non poterit Tibi non probari. Polonorum ingenia, ab injuria quorundam hominum exterorum defendeo, qui cum principatum in literis sibi deferant, no-

bis aditum nullum ad Musarum domicilia permittunt, istam passim opinionem dissemiantes, gentes illas quæ ad Aquilonem nascuntur, ac vivunt, tardiore esse ingenio, quam, ut cum Australibus literarum scientiâ conserri possint. Quod cum in Italia, remotioribusq; regionibus sœpiùs audiverim, non tantopere labrabam: id ipsum autem tam fidenter in Polonia jactari, mirari satis non possum. Ad convellendos ejusmodi sermunculos, si alia non suppeterent, vel Tua solius insignis doctrina, ingeniumq; acerrimum abunde sufficeret. Tam enim admirabili scientiâ amoreq; artium liberalium præfas, ut communi totius Litvaniae conspiratione, præsidium Literarum, & Literatorum Princeps ac Patronus dicaris: & quantum debet Italia Mediceis Hetruriæ Ducibus, quorum operâ omnes scientiæ, i-
psæq;

ipsæḡ Musæ in Latium rediere , tantum
Tibi Litvania nostra se debere profiteatur.
Cùm igitur non minus literas , quam
Patriam ames; non dubito, quod Oratio-
nem quoq; istam , quæ utriusq; causam a-
git, Tuumq; querit Patrocinium, animo
benevolo excipies. Vale.



O R A-



ORATIO PRO INGENIIS POLO NORUM

QUOD à Majorum nostrorum diligentia in Literarum studio non nihil recesserimus, multi Exterorum in eam opinionem venerunt, ut nos, quasi *àere crasso, & vervecum Patria natos*, ad perfectam literarum cognitionem nunquam pervenire posse arbitrentur, tarditatiq; ingeniorum nostrorum id adscribunt, quod temporum vicissitudini, ac fortunæ tribuere debebant. Sed quamvis dicant, non esse nos ea mentis solertiâ præditos, quam illi speciali, nescio quo, deorum beneficio sibi solis concessam jactant, tamen nonnulli eorum pro sua humanitate, miserti, ut opinor, ignorantiae nostræ, ad excolenda Polonorum ingenia, amoremq; Literarum nobis

bis conciliandum , animum adjeccerunt , scriptisq;
suis , quam viam in literarum studio tenero de-
beamus , docere nos , sunt aggressi . Nihil qui-
dem nōvi illorum vigilæ nobis adferunt : eas-
dem illi res , quas multi jam tractârunt , sed verbis
aliis vestitas , nobis venditant* nos tamen multum
illis pro ista benevolentia debere profitemur : gra-
tiasq; quantas maximas merentur , agimus , quòd
amore nostri difficillimam delendæ in Polonia ,
ut ipsi dicitant , barbaræ Provinciam , onusq; li-
terarum instaurandarum vix suis humeris susti-
nendum suscepérint . Vereor tamen , ne nimio
nostri amore capti , inde detrimentum , atq; i-
gnominiam nobis adferant , unde lucem litera-
rum parabant . Licet enim benevolò animò , &
docendi causa id agant , eam tamen opinionem
passim disseminant , Polonos , quamvis se totos
literarum studio dederint , tardiore tamen esse
ingenio , quām , ut cum exteris de palma literarum
æquo marte decertare possint : quasi solis illis ad
intima Musarum penetralia aditus concedatur ,
nobis verò vix à limine cas salutare liceat . Qui-
būs sermunculis & nomini Polonorum labem tur-
pissimam aspergunt , & Juventutis nostræ alacri-

B

tatem

tatem ad literarum studia vehementer retardant. Cùm enim quis ad eam literarum gloriam , ad quam contendit , se non posse pervenire falso crediderit, illico despontet animum , suaq; studia, literis valere jussis, ad id convertit, in quo ut ilius operam suam collocaturum se arbitrat. Quare ut & Patriæ nostræ notam inustam detergam, & vos Adolescentes præstantissimi , qui literarum causâ huc confluxistis , ad eam in bonarum artium studio diligentiam inflammem , qua non modò æquare , sed superare etiam gentes alias possitis , conabor , pace istorum hominum , (ægrè enim ferunt , si quis vel latum unguem ab eorum sententia discesserit) conabor , inquam , opinionem istam non minus famæ Polonorum ignominiosam , quam studiis vestris perniciosam pro viribus confutare. Vos modò AA. humanissimi & Patriæ honorem , & Juventutis vestræ commoda quærentem , eadem qua alios consuevistis , benevolentia sustentetis.

Communis est illa, ac per vulgata corum hominum, qui è cæli temperie ingenia metiuntur , opinio, ut illis qui ad Austrum benigniore cælo nascuntur , florem ingenii , & succum , jure quodam

dam speciali deberi arbitrentur; iis vero qui a-
spériore , nempe ad Aquilonem , tarditatem ,
ac stuporem tribuant , quasi aéris potestati mens
humana subjecta , & obnoxia esset. Non
ignoro quidem eam esse naturæ nostræ condi-
tionem , ut non omnes omnia possimus: &
quemadmodum alii tenui , graciliq; statura , alii
eximia corporis specie & magnitudine prædicti
sunt ; alii divitiis florent , cum inopia alii con-
flantur , ita & ingenium non idem est cuiq;. Ista tamen diversitas non à loci cæliq; temperie
pendet , neq; certarum regionum terminis defi-
nitur , sed toto quā late patet terrarum orbe do-
minatur. Nulla est natio , immo nulla urbs , quæ
illi non sit obnoxia. Quemadmodum igitur non
reperiemus locum ejusmodi ullum , qui speciali
quodam aéris temperamento , aut omnes valen-
tes viribus , aut debiles omnes procreet ; ita neq;
præstantia , tarditasvè ingenii adeo quibusdam
nationibus est propria , ut etiam aliis commu-
nis non sit. Quid enim? unde vis ista ac po-
testas est in aere , ut aut acuere , aut obtundere
mentes mortalium possit ?

Non inficior , esse nonnullas gentes adeo

B 2.

Mu-

Musis honestisq; artibus amicas , ut omne in illis excolendis tempus consumant : alias veró , quæ aut leviter duntaxat , ac primoribus , ut ajunt , labris scientias degustent , aut omnium omnino expertes literarum , in tenebris ac barbarie sua senescant : cæterùm si illæ quoq; ad literarum studia animum applicarent , neq; ingenia sua sylvestrare patrentur , non video profecto , quid illas à bonarum artium perfecta cognitione , prohibere possit . Quid superiore ætate rudijs magisq; literarum expers fuit , quām nonnullæ vicinæ nobis gentes ? Nunc tamen quām magnos in omni disciplinarum genere progressus fecerint , Acta Petropolitana testantur Quid , quòd etiam ipsa gens Gallorum doctissima , non semper eādem in literis fortunā frueretur ? Fuit enim , fuit illud tempus , quo omnis literaturæ expers , barbara à Romanis passim vocaretur ! Quin & ipsi Romani , qui semper quidem in literis principatum tenuerunt , si ad prima illorum urbis tempora animum revocemus , in quantis , DEUM immortalem ! tenebris , ac barbarie jacebant ! immo & posteriorib; feculîs , cùm , omni literarum cultu extincto ad pristinam

nam ruditatem suam relapsi esent, tamdiu in istis tenebris una cum Gallis versabantur, donec Itali à Mediceis Hetruriæ Ducibus, Galli verò ab Italib[us] excitati, ad excolendas literas de nuo animum adjecissent. Quis tamen illis ingenii acumen, etiam tunc defuisse dicat? non recte igitur ex eo quod nonnulli in literarum curriculo remissius versentur ingenii tarditas arguitur.

Sed illi tamen suo more obstrepentes, non omnis, inquiunt, fert omnia tellus, atq; ut alia ro-sas, alia carduos profert, ita non omnis etiam regio est æque ingeniorum ferax. De terra rectè dicunt: hæc enim àré nutritur, & idcirco alia est pinguior, aridior alia; alia perpetuo gelu, nivibusq; riget, alia æstu solis nimio exusta nullum quem herbis plantisq; impertiatur, succum habet: ingenii vero quid calor solis conferat, aut frigoris acerbitas demat, haud equidem perspicio. Si enim vim aliquam, ac potestatem in hominum ingenia àér haberet, illi qui benigniore cælo nascuntur, ac vivunt, omnes omnino summa mentis perspicacite pollere deberent, certum tamen compertumq; habemus ut in Australibus plagis multos esse obesæ, ut ajunt, naris homines; ita in Aquilo-

naribus non paucos acri ingenio præstantes.
Quid, quod duo Fratres, eodem loco, eisdemque
Parentibus procreati dispari non raro inde
nascantur? Inquit igitur id celi regionisque; tem-
peramento adscribimus, quod supremi rerum
omnium Moderatoris voluntati tribuere debe-
bamus, qui, cum omnium gentium ac populo-
rum Parens sit communis; non minore libera-
litate Borealibus, quam Australibus sua dona
largitur.

At contulerit sanè (videte Auditores, quid
illis concedam!) contulerit, inquam, aliquid ad
ingenii acumen etiam celi benignitas; quis tamen
adeo gravi crassoque aére Polonos nasci affirmet,
ut eam mentis soleritatem, quæ cæteris mortalibus
est communis, nancisci nequeant? Nonne eodem
aére cum Batavis Britannisque vivimus? Nonne
eadem vis frigoris, quæ Poloniæ afflat, in illorū
etiam regionibus dominatur? nemo tamen
est, qui eos aut ingenii acumine, aut literarum
studiorum aut doctrinæ gloriæ Australibus inferiores
esse dicat! Sed me miseret profecto illorum ho-
minum, qui relicto eo cœlo, quod tantopere inge-
nius favet, in Poloniæ ventitare, pluresque annos
magno mentis suæ habetandæ periculō, gravi no-
stro crassoque aére commorari solent! Si enim Sar-
bie-

bievium, eò quòd paucos annos Rómæ vixerit,
totum Italum ac Latinum factum esse quidam
etiam literis prodere non dubitaverint, quasi nati-
va ejus ingenii tarditas Italicu subtili àére excocta
ac depasta fuerit; cur non còdem pactò etiam
Polonicus àér crassis suis humoribus extororum
mentes obtundat, ac labefactet?

Videtis AA. quantam homines isti ingeniosis
Polonorum injuriam faciant! Laudaverint illi su-
os, sed sine nostrorum contemptu: jaetaverint
etiam non esse tantum in Polonia studium Litera-
rum, numerumq; hominum eruditorum tantum,
quantus est in Italia, aut Gallia; quis enim istam
laudem illis detraxerit? Verum illi tam vehemen-
ter literas adamârunt, ut rivalem etiam nullum
patiantur. Refrixisse aliquantum amorem illum,
quò Major s nostri in literas fercabantur, non dif-
fitemur: videmus enim quam parvi fiant in Polo-
nia artium Liberalium amantes: videmus nulla
præmia in literarum studio desudantibus esse pro-
posita: videmus; & non sine dolore animi audi-
re interdum cogimur fatales illas nonnullorum
Polonorum omnia exteris tribuentium opiniones,
quæ ita corum animos excæcavabant, ut nihil illis

pla-

placeat, quod in Polonia natum est. Merito de-
sistis illud Ovidii usurpari potest.

Fertilior seges est alienis semper in agris
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Videmus haec, inquam, & abjectâ omni litera-
rum curâ, animum despondemus. Quod si sua
laus honorq; viris eruditis haberetur, si Virorum
Principum hortatus ardorem discendi inflammaret,
non video profectò, quam ob rem de literarum
gloria cum alijs gentibus certare non possemus.

Reperamus præteriti temporis memoriam, &
Majorum nostrorum gloriam, quam cùm fibi, tum
Poloniæ Literarum scientiâ pepererunt ante ocu-
los proponamus. Neminem hic è tanto Virorum
doctissimorum numero proferam, ne arrogantius,
ingenia scientiamq; Polonorum jactare videar:
Exterum hominem, eumq; magnæ apud litera-
tos autoritatis M. Antonium Muretum, cui non
Gallia tantum in qua natus est, neq; Italia quam
excoluit, sed tota respublica literaria plurimum
debet, quid de Polonorum ingeniosis sentiat, au-
diamus. Dissuaserat illi Paulus Sacratus ne invi-
tatus à Rege Stephano in Poloniā proficiscere-
tur, cui ille Epistolâ suâ

Neq;

Neq; verebar, inquit, illam quæ in Polonia esse dicitur, inclem tam cæli, asperitatemq; frigoris, sciebam illa omnia multo minora es- se quam fama: & alioquin sim ipse quoq; na- turus in parte Galliæ maxime montosa, ac frigi- da. Quod autem quidam, qui deterrere me cu- perent, clamabant, gentes illas feras, ac barba- ras esse, interdum mihi risum, interdum sto- machum movebant. Magna mihi, Sacrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polo- nis familiaritas, magnus usus, magna necessitu- do fuit: semper eos expertus sum bondos viros, rectos, apertos, humanissimos præterea, & prope omnes eo vitæ cultu ac munditia, quæ ad elegantiam potius, quam ad ullam bar- bariem accederet. Nugæ istæ sunt hominum eos qui adulari, & fallere, & aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium, uti- nam nos eo modo barbari essemus! utri ve- rò barbariores sunt, nati in media Italia, quo- rum vix centesimum quemq; reperias, qui La- tinè, aut Græcè loqui sciat, aut literas amet. An Poloni, quorum permulti, & earum lin- guarum utramq; perfectissimè callent, & ita li-

C

teras

teras , ac liberales disciplinas amant , ut in eis tempus omne consumant . Olim illi fortassis asperi ac barbari fuerunt , hoc quidem seculo vereor , ne ad nos barbaries , ad illos cultus & splendor vitæ , & eruditio , atq; humanitas mutatis sedibüs commigrârint . Hæc Muretus .

Si igitur Majores nostri eodem quo nos cœlo nati tantâ doctrinæ gloriâ florebant , ut eos sapientissimi exterorum non in contentionem modò secum adducere , sed præferre etiam sibi ipsis non dubitaverint , quid est , quod studia nostra retardet , quominus eandem gloriam etiamnum consequi possimus * àeris ne tempesties , quæ corum ingenii tantopere favebat , est immutata * An natura jam lassa vetustate , & effæta est , ut cùm in Majores nostros ingenii florem effuderit & succum , nobis , quisquiliis , ac paleas tantum reservaverit *

Sed quid ego longinqua repeto * quasi etiamnum nobis decessent viri omni doctrinæ cultu instructissimi . Inspicerent isti homines diligenter non afflatō invidiâ oculō , & ex vero de nobis sensu judicarent , reperirent profectō in Polonia tot Antistites , tot viros Principes , Sena-

tores, Nobiles, tot in Religiosorum cætibus viven-
tes tam insigni, tamq; varia eruditione præditos,
ut eos cum doctissimis exterorum conferre, mini-
mè nos puderet. Neq; longe nobis homines
ejusmodi quærendi sunt, cum in hoc etiam con-
fessu ante oculos habeamus virum tantope-
re Musis amicum tamq; probè omni literarum
genere excultum, ut eum celeberrimæ Europæ
Academiæ certatim ad suam societatem invita-
verint, magnôq; studiò excepérint. Quid, quod
non defint etiam fæminæ nobilissimæ tanta Hi-
storiæ, Geographiæ, variarumq; linguarum sci-
entia ornatæ, ut externorum etiam homi-
num animos, ne quidquam reclamante invi-
dia, in sui admirationem laudesq; evocaverint.

Sed & multo plures ejusmodi homines do-
ctrinâ præstantes haberemus, si res duæ, qui-
bûs literarum studium maximè alitur, ac pro-
pagatur, non deessent: præmia videlicet viris
eruditis, honoresq; debiti; & librorum major
copia. Alterum jam omnes fere viri Principes
curare incipiunt, alterum incredibili Zæluscio-
rum optimè de Republica literaria, meritorum
liberalitate consecuti sumus. Unde ad spem
non dubiam erigimur, fore brevi, ut Po-

Ionia nostra non modò æquare , sed superare
etiam alias gentes studiō literarum possit.

Occurrit enim interdum mihi cogitanti ,
Polonos plus otii ad vacandum literis habere ,
quam populos Australes. Cùm enim illi urbes
passim incolant , multa sunt , quæ illorum stu-
dia vehementer interpellent. O quoties illi sa-
lutandi causā amicos adire ! quoties se invicem
salutantes excipere coguntur! Urbana spectacula ,
rerumq; novarum nuntii quām crebrò illorum a-
nimos distrahant, mentemq; à literarum studio a-
vocent ! Mitto convivia, cænas, ludos, & alia con-
venticula, quæ ab illis salvo amicitiae jure præte-
riri nequaquam possunt. Poloni verò quanto lon-
gius ab urbanarum rerum tumultu distant, tanto
majorem facultatem discendi habent. Quid, quod
Australes omnium ferme Scriptorum judiciō, la-
borum ac vigiliarum minus sint . patientes, vo-
luptati verò summopere addicti? Quæ autem res
est, quæ magis sit literis inimica, quæ magis ani-
mum enervet , ingeniiq; aciem obtundat, quām
voluptas ? Deinde, Australes æstivo tempore, cùm
sol ardorem suum omnem exerit, ad ejusmodi stu-
dia prorsus sunt inepti, nullumq;, quo vehementi
calori

calori occurrere possint, remedium habent; nos
verò licet interdum àéris asperitatem sentiamus,
non desunt tamen nobis arma, quibūs vim frigo-
goris à nobis propulsare, tutiq; ab ejus injuriis ani-
mum literis excolere possimus.

His de causis æquiores nonnulli exteri rebus
nostris, in cæteris quidem artibus perdiscendis fa-
cultatis aliquid nobis tribuunt; Latinæ tamen lin-
guæ scientiam, tanquam ingeniis nostris superio-
rem sibi solis reservant, dicuntq; Italicum & Gallum
Latini sermonis illecebram, & saporem acrius attingere,
eò quod eorum sermo sit Latino affinior. Quæ affinitas
est quæso linguæ nostræ cum Germanica, Gallica,
Italica? plurimi tamen Polonorum adeo familiares
illas sibi fecerunt, ut si eos loquentes audiveris, non
Polonos esse, sed in Germania, aut Gallia natos ju-
rasses! Cur igitur eodem pacto etiam Latini
sermonis elegantiam consequi non possimus? At enim multos libros ridicula Latinitate con-
scriptos habemus! Fateor. Sed fateantur ne-
cessitatem est etiam exteri, multos eorum quoq; libros
ejusmodi Latini sermonis quisquiliis refertos esse:
Nos tamen ex melioribus, eorum ingenia, scienti-
amq; metimur. Illi vero quæ deteriora sunt aucu-

pantur, eleganterores verò scriptores nostri eorum
in legendo diligentiam fugerunt. Unicum illi
nōrunt Sarbievium, cumq; totum Italicum, ac Latini-
num Romæ factum esse dicere non dubitant,
obliti, atq; ut sit interdum, in magna literarum luce
id non advertentes, quod Sarbievius antequam
Italicum aerem degustasset, eadem Latini sermo-
nis elegantiā multa etiam in Polonia scripsit, the-
saurumq; illum scientiæ suæ, qui tantopere animos
exterorum urit, non comparaverit Romæ, sed
exprompscrit.

Ego certè miror vehementer, quod illi
quamvis tanta hominum doctissimorum copia
abundent, mendicare tamen à nobis scriptores
non erubescant! Nos profectò, licet eorum
judicio magna ejusmodi hominum inopia la-
boremus, tamen etiamsi illi sponte nomen suum,
cum doctrina sua apud Polonos profiteri vellent,
gratias illis pro ista benevolentia maximas agre-
mus, neq; alienam laudem nobis vendicare aude-
remus.

Sed jam multa fortassis, ea præsertim de re,
quæ risu potius est excipienda, quam argumentis
confutanda. Contemnarem ego queq; istorum ho-
mi-

minum ex plaustro, ut ajunt, loquentium, sermunculos, nisi metuerem Adolescentes præstantissimi, ne ejusmodi opinones animos vestros occuparent, cursumq; studiorum, quem inire desideratis, retardarent. Quid enim aliquam artem perdiscenti perniciosius esse potest, quām credere se non posse eō quō contendit pervenire? Quare agite, & opinionem istam pestiferam, si quorum animos jam afflaverat, deponite. Non ingenium vobis, non facultas discendi deest, in hac præser-tim urbe, in qua & librorum copia, & Virorum doctissimorum ingens numerus exemplis hortatibusq; suis vestros conatus mirum in modum juvare poterit. Neq; àér, ut isti dicitant, est studiis vestris inimicus: Socordia, socordia est unica, quæ progressibus vestris obicem possit ponere. Hunc hostem si profligaveritis, re ipsa melius, quām ego argumentis, comprobabitis, non ingenio tantum, sed literarum etiam scientiā, Polonos nulli gentium inferiores esse.

Ad M.D.G. B.V.M. Honorem.

<http://rcin.org.pl>

1653

